

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Constantinus episcopis epulum, cui ipse quoque interfuit,  
exhibuerit, cum iam vigesimus administrati ab eo imperii annus transactus  
esset. Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

enim estis & Deo omnium gubernatori rem gratiam facili-  
turi, & mihi vestro in domino conseruo maximum pre-  
staturi beneficium.

*Quomodo disordantes episcopos ad concordiam traduxerit,*

*& quod de fide & pasche celebratione eadem fuit  
concilii sententia. CAP. XIII.*

**H**ec ista latino sermone, altero eadē interpretante locutus, sermonem omnem deinceps concilii praefidibus concessit. Ibi tum alii vicinos accusare cœperunt: alii & pro se respondere, & crimen in aduersarios deriuare. Cū igitur multa essent ex vtraque parte proposita, magnaqué controuersia in ipso disputationis ingressu concitata, imperator toleranter ac placidè omnibus animum attendere, studio acri prolatas sententias sensim excipere: vicissim ferre opem vtricq; disceptantium parti: eos magna cum cōtentione digladiātes paulatim reconciliare: conferre cum singulis comiter & benignè sermonem: Græce (nam ne huius quidem linguae ignarus fuit) quid ipse sentiret eloqui. Suavis fuit, & dulcis, dum aliis persuadere, alias sermone lenire, alias qui diserte dixissent, collaudare, omnes denique ad concordiam reducere contendebat: vsque eò ut tandem eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquam venissent, tum conspirantes animis, tum opinionibus adeo consentientes redderet, vt non modo concors fides inter eos vigeret, sed etiam vnum idemque tempus in salutari festo Paschatis celebrando obseruandum ab omnibus concederetur. Iam vero, quæ erant communi omnium sententia decreta, cuiusque manu subscripta fuerunt, & in comentarios relata.

*Quomodo Constantinus episcopis epulum, cui ipse quoque interfuit, exhibuerit, cum iam vigesimus administrati ab eo imperii annus transactus esset.*

*CAP. XIV.*

**Q**uibus ad exitum perductis, secundam istam victoriā imperator se contra ecclesiæ hostem consecutum affirmauit, & propterera festum triumphale ad Deū

## EVSEBII DE VITA

ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore vige-  
simus eius regni annus completus est: in quo conuentus  
celebres etiam apud reliquas gentes agitabantur. Inter  
Dei ministros iam pace conciliata, ipse Imperator con-  
vium celebrare coepit, & hoc tanquam sacrificium Deo  
valde accommodatum per illorum presentiam obtulit;  
neque quisquam ex episcoporum numero, ab illo regali  
epulo absuit. Istud porro, quod ibi factum est, omnem  
dicendi facultatem superat. Satellites enim armati, distri-  
ctis gladiis, unde regiae vestibula obseruabant: per  
quorum medium turbam sancti Dei homines absque for-  
midine ingressi sunt, & ad interiores palatij aedes perre-  
xerunt. Ex quibus alii deinde una cum Imperatore ac-  
cubere: pars propè valvas triclinij utrinque assidere.  
Regni Christi festigiem in ea re adumbrari videbatur:  
quam rem somnij similius, quam rei gestae, aliquis existi-  
mare poterit.

*Munera presentibus Episcopis dedit, & ad  
absentes omnes literas.*

CAP. XV.

**V**bi autem communium magno cum splendore venit  
ad exitum, illud praetera, quod omnes magnificen-  
tius & liberalius exciperetur accessit, quisque nimi-  
sum pro dignitate munieribus honorifice donatus fuit.  
De hoc porro concilio Imperator illos etiam, qui ei neuti  
quam interfuerint, certiores fecit per literas: quas qui-  
dem in hanc nostram historiam, tanquam in columellam  
quandam inscribam: quae ita se habent.

*Constantinus Augustus Ecclesiis s.*

*Literæ Constantini ad Ecclesias de habita Ni-  
cæ Synodo C. A. P. XVI.*

**C**um ex florenti & prospero Reip. statu, quantas sit,  
diuini numinis erga nos benignitas, compertum ha-  
berem, istud maxime omniū mente circumspicien-  
dum putauī, ut in sanctissima catholicæ ecclesiæ multi-  
tudine, una fides, sincera charitas, & consentiens erga  
Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur. Ve-  
rum quoniam istud haud poterat in loco tuto firmoque,  
colloq.